

DE CAPITULO GENERALI IN ORDINE PRAEMONSTRATENSI.

Ab incunabulis Ordinis Praemonstratensis, mos viguit ut temporibus statutis, conventus quidam generales haberentur, in quibus de negotiis Ordinis ageretur : ab initio Ordinis exstat id quod hodie vocatur : celebratio Capituli Generalis.

Notio huius instituti iuridici, historica eius evolutio, eius potestas ac ordo procedendi in negotiis tractandis, tot efformant capita examini subiicienda, ut elaboretur conceptus adaequatus Capituli Generalis in Ordine Praemonstratensi.

Nunc tantum de notione huius instituti tractare intendimus. De proposito tamen coarctamus hanc explanationem intra limites ipsius Ordinis laudati, ne disquisitio circa originem Capitulorum Generalium in variis Ordinibus religiosis ac eorum evolutionem historicam, campum nimis amplum praeberet.

In Ordine Praemonstratensi inde ab ipsius initio exstitit quaedam centralis regiminis forma, coetus nempe omnium Abbatum totius Ordinis. Ipso Fundatore, s. Norberto, adhuc vivente, celebratum est circa annum 1128 primum Capitulum Generale, ductu b. Hugonis Fossensis, socii s. Patris Norberti ac primi Abbatis archicoenobii Praemonstratensis 1).

Imo ipsa primaeva Ordinis legislatio iam commemorat hunc coetum Abbatum sub titulo « De annuo colloquio ».

Quamvis Statuta primaria a b. Hugone Fossensi hucusque ad nos non pervenerunt 2), Codex Monacensis a R. Van Waefelghem denuo editus, testimonium minime dubium reddit de legislatione Ordinis circa annum 1140. Haec Statuta hocce modo de annuo colloquio in capitibus 26 et 27 tractant : « Iterum statutum est quod semel in

1) L. HUGO, *Histoire de S. Norbert. Luxemburgi*, 1704, pp. 274, 275. — G. MADELAINE, *Histoire de Saint Norbert. Tongerloae*, 1928, t. II, pp. 35, 36

2) H. HEIJMAN, *Prämonstratenser Gewohnheiten in Analecta Praemonstratensia*, t. II. Tongerloae, 1926, p. 5, sqq.

anno gratia sese visitandi, ordinis reparandi, confirmande pacis, conservande karitatis, abbates omnes ad colloquium pariter conveniant in loco competenti quem communi consilio providerint, ubi in sinistris corrigendis domno abbati Premonstrate ecclesie que mater est aliarum, sanctoque illi conventui reverenter singuli humiliterque obediant, et clamati veniam petant; quam clamationem non nisi abbates faciant. — Nulla sane ratione nisi duabus ex causis annuo licebit deesse capitulo aut videlicet ob corporis infirmitatem aut inevitabili episcopi vel archiepiscopi obedientia. Cui autem quodlibet horum contigerit, prepositum pro se vicarium vel alium idoneum de claustris suis mittat. Quod si quis alia quacumque occasione quandoque remanere presumpserit vel non miserit, in proximo capitulo discipline subiaceat, et per totum annum per sextas ferias, nisi duplex festum fuerit, in pane et aqua jejunabit » ³⁾.

Quasdam si excipias additiones, paucas sane mutationes usque ad ipsam revisionem Statutorum anni 1630 hunc subiisse textum fatendum est ⁴⁾.

Haec Statuta locum magis insignem tribuunt Capitulo Generali per 8 capita de iis quae ad ipsum spectant disserentes. Quamvis ipsa notio Capituli Generalis intacta relinquitur, haec Statuta statuunt : « Ut Ordinis nostri constitutiones exactius servantur, et si quid violatum, vel collapsum, vel de rigore remissum fuerit, restauretur; ac etiam, ut mutua charitas, et pax, quae inter ejusdem instituti Praelatos, et Religiosos esse debent, magis magisque augeantur, foveantur, et confirmentur; communi Praelatorum consensu est constitutum, ut singulis trienniis (si tamen Dominus Praemonstratensis, pro Ordinis necessitate, vel utilitate ita expedire judicaverit) idque post Pascha, in Dominica Cantate, omnes Ordinis nostri Abbates, vel ad minus duo, nisi Dominus Praemonstratensis plures evocandos existimaverit, de qualibet Circaria ex iis, quibus ob distantiam, aut aliam urgentem causam, a Capitulo Generali hoc est concessum, per unamquamque Circariam, et ejusdem expensis, deputandi, ad Capitulum Generale, per Dominum Praemonstratensem tempestive indicendum, conveniant in Ecclesia Praemonstransi, et non alibi, nisi de assensu Domini Praemonstratensis et Capituli Generalis » ⁵⁾.

3) R. VAN WAEFELCHEM, *Les premiers Statuts de l'Ordre de Prémontré* in *Analectes de l'Ordre de Prémontré*, t. IX. Lovanii, 1913, pp. 35, 36.

4) *Statuta Canonici Ordinis Praemonstratensis*. Lovanii, 1630.

5) Statuta anni 1630, D. IV, c. I, n° 1.

Statuta Renovata anni 1929 in n° 328 brevius notant : « Suprema auctoritas in S. Ordine nostro residet penes Capitulum Generale, cui competit Ordinem gubernare... » ⁶⁾.

Ex allata legislatione Ordinis Praemonstratensis sequentes conclusiones seduci posse duximus :

1° ab incunabulis Ordinis Praemonstratensis exstat Capitulum Generale, ut coetus *omnium Abbatum* Ordinis;

2° ad hunc coetum omnes Abbates *accedere tenentur*;

3° penes hunc coetum residet *suprema auctoritas* in Ordine;

4° hic coetus intendit primarie *bonum commune* totius Ordinis.

I. *Ab incunabulis Ordinis Praemonstratensis exstat Capitulum Generale, ut coetus omnium Abbatum Ordinis.*

Statuta antiquissima ($\pm$ 1140) declarant : « ... statutum est quod semel in anno ... *abbates omnes* ad colloquium pariter conveniant » ⁷⁾. Tantum ob infirmitatem corporis aut inevitabili episcopi obedientia mittere debent vicarium vel alium idoneum de claustro suo ⁸⁾.

Statuta circa annum 1190 confecta et a Martène edita idem statuunt sed causae excusantes sunt infirmitas corporis et remotio locorum ⁹⁾.

Statuta anni 1290 expresse vetant alios canonicos admittere ad Capitulum : « Porro Abbates venientes ad Capitulum generale intrent Ecclesiam Praemonstratensem tantummodo cum tribus equis et uno garsione, vel Converso loco garsionis. Hoc proviso, quod Canonici non custodiant equos suos, alioquin avena non detur ipsis Canonici pro equis, et tam ipsi Canonici quam Abbates eorum comedant super nudam mensam in Conventu Abbatum... Laudunensi, Floreffiensi et Cuissiacensi Abbatibus, ut in quatuor personis veniant ad Capitulum indulgemus, dummodo unus illorum Notarius habeatur » ¹⁰⁾.

Statuta anni 1505 indulgent : « ... *omnes Abbates* nostri Ordinis, vel ad minus duo de qualibet circaria per illam circariam deputandi, qui venient expensis circarie, nisi dominus Praemonstratensis

6) *Sacri, Candidi et Canonici Ordinis Praemonstratensis, Statuta Renovata*. Averbodii, 1929, n° 328.

7) R. VAN WAFFELGHEM, o. c., p. 35.

8) *Ibid.*, p. 36.

9) E. MARTÈNE, *De antiquis Ecclesiae ritibus*, t. III. Antverpiae, 1737, col. 920.

10) I. LE PAICE, *Bibliotheca Praemonstratensis Ordinis*. Parisiis, 1633, p. 816, 817.

plures duxerit vocandos pariter ad capitulum generale nostri ordinis convenient... » ¹¹⁾).

Quamvis ergo *omnes et soli* Abbates Capitulo Generali interesse debebant, postea tamen hae dispositiones minus stricte urgeri coeperunt.

Anno 1543 Capitulum Generale in S. Martino Laudunensi sub Amato de Fonte celebratum, facultatem singulis Religiosis suppetit Capitulo Generali se sistendi, sequenti ratione : « Capitulum attestatur omnibus et singulis Ordinis subditis, et non subditis, quod omnes Religiosi nostri Ordinis, qui inconsultis Abbatibus, de consensu suorum Priorum et Conventualium, et sanioris partis Capituli, pro commodo et utilitate, seu aliquibus negotiis ipsorum Monasteriorum expediendis, ad Cap. Nostrum Generale veniunt, et progrediuntur, nullatenus in censuris Ordinis incidunt, intellecto quod ea, quae zelo charitatis operari decreverunt, nequaquam ipsis imputari, et in detrimentum eorundem cedere debent; declarando insuper tenore praesentium quod Abbates eorundem nullatenus debent, nec possunt aliquas poenas ipsis Religiosis, his de causis praescriptis, sic ad nos, et Capitulum venientibus, infligere » ¹²⁾).

In eodem Capitulo Generali singulare privilegium Canonicis nostris in Universitate Parisiensi Doctoribus concessum est, hoc decreto : « Cum numerus Abbatum Capitulantium, refrigerante charitate, paulatim minuat, et crescentibus undique malis, consilium praevaleat malignantium, idcirco, matura Fratrum deliberatione praehabita, Capitulum praesens definit atque ordinat, quod deinceps futuris, et perpetuis temporibus, omnes et singuli Religiosi nostri Ordinis S. T. Professores,, qui in alma Parisiensi Facultate sui Doctoratus gradum adepti sunt, possint et valeant in hoc Patrum consistorio assistere, et comparare in cappis, post Abbates, *citra tamen votum deliberativum, velut consilarii* dumtaxat tam ad referendum, quam ad consulendum quae ad nostri Ordinis perfectionem, et decorem opportuna esse, et fore viderint, et cognoverint » ¹³⁾).

Post perturbationem Gallicanam anno 1883 primum Capitulum Generale sub praesidentia Exc. Domini Nuntii Apostolici Seraphini Vanutelli celebratum fuit Viennae in palatio Nuntiaturae Apostolicae diebus 1-3 Octobris. In hoc Capitulo manifestato desiderio a R.mo Praeposito Czornensi « ut ad Capitulum generale admittatur

11) Statuta anni 1505, D. IV, c. 1.

12) C. SAULNIER, *Statuta Ordinis Praemonstratensis*. Luxemburgi, 1776, p. 339.

13) *Ibid.*, pp. 339, 340.

penes quemque Abbatem socius a respectivo Conventu *deputandus*, et ut ei *competat votum consultivum*, omnes assenserunt, excepta tamen electione personarum, a qua eos absolute exclusos Capitulum declarat » 14).

Id quod ergo per modum privilegii doctoribus Parisiensibus concessum fuit a Capitulo Generali anni 1543, in Capitulo Generali anni 1883 ut proprium ius uniuscuiusque canonicae conceditur.

Intactus tamen permansit conceptus primaevus Ordinis, Capitulum Generale esse coetum *Abbatum*, quia ipsis tantum competit votum deliberativum sive per seipsum sive per delegatum manifestatum, alii autem praesentes sunt tantum consilarii.

In hoc sensu Statuta renovata n° 333 decreverunt : « Ad Capitulum Generale convocandi sunt eique cum suffragio deliberativo assistere debent Abbates et Priores de regimine, Priores claustrales sede vacante, Procurator Generalis Ordinis ac Definidores Ordinis... » et in n° 337 : « Ad Capitulum etiam vocandi sunt et interesse debent, cum suffragio consultivo tentum, Provisor Ordinis et unus deputatus ex singulis monasteriis sui juris, ac etiam confratres periti, si felici expeditione negotiorum Abbas Generalis cum consilio Definitorum Ordinis tales advocandos judicaverit ».

II. *Ad hunc coetum omnes Abbates accedere tenentur.*

Hunc coetum esse necessarium, non autem libere relictum desiderio ipsorum Abbatum patet ex Statutis antiquissimis (± 1140) « ... statutum est quod semel in anno ... abbates omnes ad colloquium pariter conveniant... Nulla sane ratione nisi duabus ex causis annuo licebit deesse capitulo aut videlicet ob corporis infirmitatem aut inevitabili episcopi vel archiepiscopi obedientia... Quod si quis alia quacumque occasione quandoque remanere presumpserit vel non miserit, in proximo capitulo discipline subjaceat, et per totum annum per sextas ferias, nisi duplex festum fuerit, in pane et aqua jejunabit » 15).

Statuta anni 1290 adhuc severius contra absentes Abbates ordinant : « ... Quicumque autem alia quacumque occasione vel remanere praesumpserit, vel non miserit, careat stallo Abbatis, et non utatur baculo Pastoralis, nec Missam celebret in Conventu... Verum si quis in hoc contemptu perduraverit, ex tunc sciat se esse depo-

14) Protocollum Capituli Generalis anni 1883.

15) R. VAN WAEFELCHEM, o. c., pp. 35, 36.

situm, et ab Officio Sacerdotali suspensum, et Fratres non dubitant se esse ab eius obedientia absolutos, et salvo iure Patris-Abbatis habere liberam facultatem Pastorem alium eligendi » 16).

Capitulum Generale anni 1307 sub Adamo de Crecy celebratum probat non omnes abbates de facto venisse ad Capitulum Generale : « Cum multi Praelati nostri Ordinis negligentes visitare personaliter Capitulum Generale, poenas in privilegiis, et statutis contentas contra non venientes vilipendunt, praecipitur universis Praelatis tam praesentibus, quam absentibus, quatenus de cetero Generale Capitulum visitent diligentius; alioquin contra non venientes, aut minus legitime se excusantes, prout rationis fuerit, procedetur » 17). Item quoad Abbates Belgicos decrevit Capitulum Generale anni 1660 Sess. 9 Praemonstrati sub Augustino le Scellier celebratum 18).

Statuta anni 1505 mutant paenam : « ... penam tallie unius anni ad usum Capituli Generalis applicande cum alia pena arbitraria per ipsum capitulum nihilominus infligenda irremissibiliter sustinebit » 19).

Revisio Statutorum anni 1630 in Distinctione IV, capite I, n° 8 dicit : « Nulli autem Abbatum, vel Praepositorum, liceat se a Capitulo Generali absentari, nisi, vel ob corporis infirmitatem, vel ob aliquam fundatam rationem; vel ob loci distantiam, a Capitulo Generali, hoc ei specialiter sit indultum, aut per missionem duorum deputationum ex sua Circaria (cui hoc concessum sit) satisfaciat ». N° 10 eiusdem capitis eandem paenam infligit de qua in Statutis anni 1505.

Demum Statuta Renovata paenas antiquas delent et tantum n° 333 statuunt : « Ad Capitulum Generale convocandi sunt eique cum suffragio deliberativo (i.e. decisivo) assistere debent Abbates et Priores de regimine, Priores claustrales canonicae vacantis, Procurator Generalis Ordinis ac Definitores Ordinis ».

III. *Penes hunc coetum residet supremam auctoritatem in Ordine.*

Statuta anni circiter 1140 obedientiam Capitulo Generali imponunt omnibus Abbatibus : « ... ubi (in Capitulo Generali) in sinistris corrigendis domino abbati Premonstrate ecclesie que mater est aliarum, sanctoque illi conventui reverenter singuli (abbates)

16) I. LE PAIGE, o. c., p. 817.

17) C. SAULNIER, o. c., p. 337.

18) *Ibid.*

19) Statuta 1505, l. c.

humiliter que obediant » ²⁰⁾. Ex hoc textu tamen forsitan quis deducere posset Abbatem Generalem habere supremam auctoritatem in Ordine.

Sed Statuta anni 1290 dubium omne incunctanter excludunt : « Et notandum est, quod sicut singuli Abbates Ordinis, Domino Praemonstratensi, et Capitulo Generali obedire tenentur; Ita et idem Abbas Praemonstratensis debet Obedientiam ipsi Capitulo generali, ut iudicetur secundum Ordinis Statuta, si aliquid propositum fuerit contra ipsum » ²¹⁾.

Statuta anni 1630 definiunt : « ... ipse Dominus Praemonstratensis Capellam definitorii intret, ibidemque in manibus primi Abbatis (si tamen hoc ante nunquam praestiterit) ipsi Capitulo Generali obedientiam, flexis genibus promittat. Quo facto, singuli Abbates et Praelati, qui antea id non fecerunt, in manibus Domini Praemonstratensis, ipsi Domino Praemonstratensi, ac Capitulo Generali, obedientiam, et reverentiam, flexis genibus, per ordinem spondeant » ²²⁾.

Statuta Renovata declarant in n° 328 : « Suprema auctoritas in S. Ordine nostro residet penes Capitulum Generale, cui competit Ordinem gubernare... ».

IV. *Hic coetus intendit primarie bonum commune totius Ordinis.*

Textus variorum editionum Statutorum sunt sufficienter lucidi, quin ulteriorem explanationem requirant. Statuta antiquissima habent : « Iterum statutum est quod semel in anno gratia sese visitandi, ordinis reparandi, confirmande pacis, conservande karitatis, abbates omnes ad colloquium pariter conveniant... » ²³⁾. Consecutio huius finis aliter enuntiatur in Statutis anni 1630 : « Ut Ordinis nostri constitutiones exactius serventur, et si quid violatum, vel collapsum, vel de rigore remissum fuerit, restauretur; ac etiam, ut mutua charitas, et pax, quae inter ejusdem instituti Praelatos, et Religiosos esse debent, magis magisque augeantur, foveantur, et confirmentur... » ²⁴⁾.

20) R. VAN WAEFELCHEM, *o. c.*, p. 35.

21) I. LE PAICE, *o. c.*, p. 816.

22) Statuta anni 1630, D. IV, c. III, n° 1.

23) R. VAN WAEFELCHEM, *o. c.*, p. 35.

24) Statuta anni 1630, D. IV, c. I, n° 1.

Cum ex supra allatis textibus probetur ab incunabulis Capitulum Generale Ordinis Praemonstratensis esse *coetum necessarium omnium Praelatorum ad bonum commune Ordinis* promovendum et habere *supremam auctoritatem* in Ordine, sequitur Capitulum Generale Ordinis laudati esse *personam iuridicam, moralem collegialem*.

Nam ille coetus est adunatio plurium personarum physicarum in unum collegium ²⁵⁾, non ad ipsarum bonum proprium, sed ad bonum religionis. Viribus etenim unitis et capitularium consensu providetur de morum reformatione, de regulari observantia, de mutuis auxiliis ²⁶⁾.

Etiam Canonistae communiter distinguunt Capitulum Generale in Capitulum Generale *ordinarium* et *extraordinarium*, prout tempore a constitutionibus determinato celebratur, aut alio modo vel tempore ex peculiaribus causis congregatur ²⁷⁾.

Cum olim unoquoque anno celebrabatur Capitulum Generale et insuper provisioni muneris abbatis generalis vacantis occurrebatur per electionem trium priorum Abbatum Ordinis ²⁸⁾, raro prorsus accedebat necessitas convocandi Capitulum Generale extraordinarium, ideoque supervacaneum videri poterat de ipso speciatim tractare in legislatione Ordinis. Sed quando Capitulum Generale anno 1605 Praemonstrati celebratum, decrevit Capitula Generalia triennialia esse introducenda, iam facilius occurrere poterat necessitas convocandi Capitulum Generale extraordinarium. Tamen legislatio Ordinis tale Capitulum extraordinarium non praevidit donec in Statutis renovatis n° 431 decretum est : « Abbati Generali jus est, exigentibus negotiis Ordinis, cum consensu Definitorum Ordinis extraordinarium convocare Capitulum. »

Gummarus VAN DEN BROECK, O. Praem.

25) F. WERNZ-P. VIDAL, *Ius Canonicum*, t. II. *De Personis*, Romae, 1928, p. 28.

26) R. MOLITOR, *Religiosi iuris capita selecta*. Ratisbonae, 1909, pp. 525, 526.

27) T. SCHÄFER, *De Religiosis*. Monasterii, 1927, p. 131. — A. LARRAONA, in *Comментарium pro Religiosis*. Romae, t. VI, 1925, p. 428.

28) Statuta anni 1630, D. IV, c. XII, n° 1.